VERITAS
Suo in Sinis oppreſſo hoſte
TRIVMPHANS.

Sub Auſpicijs

ILLVSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI
DOMINI

D. STANISLAI CAŁOWANSKI

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopi La-
cedæmonienſis, Suffraganei Archidiaconi,
Vicarij in Spiritualibus & Officialis Plo-
cenſis, Præpoſiti Pultouienſis &c. &c.

S. R. M. Secretarii.

Ab Illuſtri & Magnifica Iuuentute Studioſa
In Collegio Karnkouiano Plocenſi Societatis JESU
Ludis Metagymnaſticis
in Scenam data

Anno
InnoCVo tVtè qVo gaVDet PræsVLe VerVM.

Ex libris Alex. Jelenski. 1686.   MDCLXXXVI.



Crux Soleam firmat, pariter firmatur ab illa
Nec statui potuit Nobiliore loco.
Hîc per se forti statio tutissima vero
Cûi decus & robur Crux soleata dabit.
Dum firmas verum stabit tua Laus magè Præsul
Omen habet Nomen, Stemmaq; Vita simul.

DEDICATIO.

FAuorem Principum diſpendio Veritatis multi lucrentur: nos eius victoriâ & incrementis optimè de Te mereri contendimus, PRÆSUL ILLUSTRISSIME. *Auguſtiorem illa Tuis ſub auſpiciis triumphum celebrabit, cuius vita eſt Veritas honorata. Solis loco culta Pythagoræ, aucta ſuæ lucis ab* Illuſtriſſima SOLEA Tua *ceu altero Sole ſerenitate, rara noſtro climati parelia exhibebit: iam olim Fortitudinis inſignita præſtantiâ, amplius robur ſortietur & nouam Maieſtatem. non alterius acceſſu ſplendoris illius poterit augeri fulgor, niſi quem tuæ Patritiæ ſpargunt ceræ: nunquam fucato lumine ſub libero cœlo radiantes. infame Parentis odii amittet nomen; ſi tuam fuerit promerita Gratiam. Imo ſuam Romanis non inuidebit Nobilitatem, Lunato* SOLEÆ *inſigni decorata: quod tamen non niſi ſupra ſuum verticem adorabit, eodem firmata, tot retroacta ætate afflicta caſibus nunquam corruet. Diuinitati proximus humaniorum obſequia non reijcies literarum; cùm ſint Diuinæ, illæ quoq; portio Sapientiæ; triumphanti verò publicè applaudentes veritati, rem hominum conſuetudine tractant ſuperiorem. Non rarò Karnkowianæ Palladis adyta Te ipſo conſecras, quando illorum tenuitati, & Scientiam virtuti, & Iuſtitiam veritati fœderatam cum Tua infers præſentia Spectatorum grauiſsimus gratiſsimusq;. Nec mirum cum extra ſcenam, veram te magnorum effigiem Antiſtitum cuncti venerantur: nos religioſo colimus ſilentio. Nam*

Vera laus ſciri fugit, inde clarus
Se ſua Titan prohibet videri
Luce, qui totus potuit latere — *Sarbiev.*
Maior habetur,

Quem tamen parem fulgore vitæ Fulgentio, pietate Martino, integritate morum Innocentiis, veritatis promouendæ studio, proprio Tutelari Stanislao cum intuemur, mortalem esse, vt illos fuisse dolemus: imo quia verè triumphalem cum iis rectè factorum gloria Tui Nominis meruisti immortalitatem, gratulamur. Opimam animarum messem Sinensi Ecclesiæ pressa aliquamdiu, victrix tandem maturauit Veritas, eadem hodie in Scena triumphans, colligatas in vnum manipulum Iuuentutis Palladiæ Tuo honori perpetuò obstrictas mentes, his æstatis consecrat initiis, dedicatq́: feliciùs in iis Scientiæ pullulabit Seges, si fuerint Illustrissimo gentilitiæ TUÆ SOLEÆ *lumine, ceu benignioris radiis Solis recreatæ. Nec alterius Phæbi aprico delectatus Karnkouianus Agnus, cognatis eidem insigni Generis & Virtutis fulgens splendoribus, fæcunda pascua sibi à singulari Optimi Pastoris promittit beneuolentiâ: quem Studioso grege orbandum, & iterum eodem, cum accessu reduce Coronandum, eiusdem Nominis honori in perennem dedicat victimam.*

Juuentus Studiosa

Collegii Karnkouiani Plocensis

Societatis JESU.

ARGV-

ARGVMENTVM.

ANno ſalutis Milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto; invectam in Indias per S. Apoſtolum Xaverium ab annis tredecim ſupra centum; promotam verò uſq; in Regiam Pekinenſem, Sinici Caput Imperii, ab annis 5. ſupra octoginta per P. Matthæum Riccium S. J. veritatem Fidei, primus Procerum (Gentilianus mutato Sinenſi ad pronuntiandum arduo nomine, dicendus) cum alio veteratore (Atheano ob eandem rationem vocando) dum oppugnat, Chriſtiq; Athletas vi & fraude perſequitur; laqueo exoſam veritati vitam tota cum ſtirpe cælo vindice deletus terminat.

Pater Dominicus Gabiani Narrationis Sinicæ. par. 3. cap. 9. fol. 603. num. 6.

Antiprologus.

Vmbras Liuoris & Fraudis à Karnkouiano Agno, Pietas transformatâ in Solem gentilitiâ Illuſtriſſimi Præſulis Soleâ diſpellit. huic ſuo Phæbo gratantur Plocenſes cum Pallade Camænæ.

Prologus.

Veritas & Scientia Chinam è faucibus Draconis liberare dum conantur, ab Idololatria & fraude captiuantur, vinctas Dei Prouidentia ſolatur, libertatemq; promittens, exitum rei innuit.

ACTVS Imus

Scena Ima. **Conſpirat in necem Chriſtianorum Gentilianus cum Atheano, dolens ſuæ ſubductos crudelitati Sacerdotes Europæos extinctis quantumuis carceris ærumnis aliquot Patribus Religioſis, cæſisque ſex Mathematicis Chriſtianis.**

Scena 2da. **Placatus quibusdam donis, permittit vulgari defenſionem Patrum Societatis IESV publico ſcripto exaratam: Vbi dum errores quoque confutari aduertit in Aſtrologia**

Athea-

[illegible] rerum, ſuccendente furorem eodem Atheano.

Scena 3tia. Conſulit vterque Idola, à quibus hoc accepto reſponſo. *Si premis Europam tibi tænia Gentiliane.* Spem ambo concipiunt non modò veritatis opprimendæ, ſed etiam Imperii à Gentiliano obtinendi: eius inſigne per tæniam interpretantes.

Scena 4ta. Suadet Atheanus Gentiliano fingendas literas à Conſtantino, vltima Sinenſium Imperatorum prole, Tartaris ſubducta, quaſi iis de repetendo Imperio cum Sacerdotibus Europæis ageret: Approbatur Conſilium abit Gentilianus.

Scena 5ta. Nicetas Filius Veriani Senatoris, noſtris addicti, defert annulum Horologicum dono Imperatori à Patribus miſſum: quod dum coram Simulante ſe rebus Catholicis addictum incautus reuelat Atheano, ab eo propinata quaſi per humanitatem potione Cha ſopitur.

Scena 6ta. Somno preſſi Nicetæ Atheanus excuſſo ſinu inuentum annulum Veneno imbuit, animo, noſtros poſtea criminandi.

CHORVS.

Matheſis Sinica circa demonſtrationem Trigoni erroris conuicta à Matheſi Europæa, telis eandem appetit, quæ Fidei clypeo retunduntur. Karnkouianæ verò Palladis Agno inſidiantia monſtra, zelus, teli loco, Cruce, aptatâ in arcum Gentilitiâ Illuſtriſſimi Soleâ, cui pietas addit neruum, profligat.

Interludium.

ACTVS 2dus.

Scena 1ma. Atheanus accepta notitiâ, annulum à reduce Imperatore ex venatione inſpiciendum. Subornat Hariolum, qui juſſu Deorum moneat eundem, vt ſibi caueat à donis Europæorum.

Scena 2da. Proficiſcitur Imperator ad venandum. Satyrico ſaltu ei applauditur.

Scena

Scena 3tia. Occurrit Hariolus instructus ab Atheano, affirmat sibi à Dijs reuelatum per dona hodie ab Europæis oblata, Imperatori necem paratam.

Scena 4ta. Regreditur in Regiam Imperator, exploraturus Harioli fidem, suadenti Gentiliano vt Sacerdotes Europæi, à quibus dono accepit annulum, carceri mancipentur ; annuit.

Scena 5ta. Mittuntur Satellites ad illos carceri includendos : literæ, vt conuenerat cum Atheano finguntur à Gentiliano.

Scena 6ta. Neophyti prosequuntur luctu Christi pugilum calamitatem.

C H O R V S.

Ecclesiæ Sinensi Siti salutis suorum æstuanti, Ecclesia Europæa propinat salutiferum è sudoribus, Christi operariorum, liquorem. quo illa & se recreat, & plantatam rigat Vineam. Agno verò Palladis Karnkouianæ limpidum fontē ad delicias excutit Gentilitia Illustrissimi Præsulis Solea.

Interludium.

A C T V S 3tius.

Scena 1ma. Præfectus Thesauri iubente Imperatore, annulum præsentat, sed alium dono olim à Patre Adamo Imperatoris Parenti oblatum ; priori casu perdito omnino similem.

Scena 2da. Fingit Atheanus indicia veneni apparere in annulo; induit digitum cuiusdam damnati : quem nequaquam mori aduertens, inspirato in aures magico carmine, ad mortis suspicionem sopit.

Scena 3tia. Excandescit Imperator contra Sacerdotes Europæos. doni latorem Nicetam captiuari præcipit. Simulque Verianum pro filio intercedentem carceri adiudicat.

Scena 4ta. Succendere conatur vehementiùs Imperatoris furorem Gentilianus, productis confictis literis à Constantino, quarum sensum interpretatur Steganographicè scriptarum, hunc esse. *Consulite rebus meis, breui armatus adero, me vosq; vindicaturus.*

Scena 5ta. Disceptatur causa reorum à Præsidibus corám Imperatore. ad laqueum Sacerdotes cum Niceta damnantur: cuius Parens Verianus exilio puniendus decernitur. Fides Catholica eliminanda suadetur aditus captiuorum seuerè prohibetur.

Scena 6ta. Officium Veriani Clyto Filio impetrat Gentilianus, quē Clytum intercedentem pro Niceta, suo olim compalæstrita, non audit.

Scena 7ma. Dolet Sortem Nicetæ Clytus. Liberare eundē statuit.

C H O R V S.

Amicis Veritatis captiuis, Coronas pro Patientia nectit Prouidentia Diuina. Prosapia verò Illustrissimæ Soleæ cognata recenset decora.

Interludium.

A C T V S 4tus.

Scena 1ma. Gentilianus Nicetam capite plexurus, pro illo Filium in carcere reperit. Furit contra Verianum. Quæri iubet Nicetam, similemq; illi repertum iuuenem obtruncat.

Scena 2da. Mittit Clytum grauiter admonitum ad maturandam Christi Athletis necem. Ipse pergit ad Imperatorem, adducturus in capitis discrimen Verianum.

Scena 3tia Clytus reluctante gressu, necem Sacerdotibus Europæis ferens, à plebeio homine repertum in Nido Auis Iucung dictæ mercatur annulum, quem gestaturus, nudo dum applicat pectori, veneno afficitur.

Scena 4ta. Redux Gentilianus languentem reperit Filium, incusat Christianos.

Scena 5ta. Adest Atheanus rogatus vt consulat Clyto agnoscit causam morbi esse annulum à se veneno imbutum, sed ignorare dicit, quâ viâ ad eum peruenisset.

Scena 6ta. Furit Gentilianus contra Atheanum ob causatum Filio lethalem morbum: dum secum acrius contendunt, clamores exaudit, & fit de omnibus certior Astræus, aulæ & custodum

stodum Præfectus. Promissione Imperij placatur Gentilianus, sanitatisque filio restituendæ, & accepta in pignus Schedâ Sanguine notatâ. *Ni fueris Imperator morbum filii vindicabis.* obstinatè persequi statuit Christianos.

Scena 7ma. Mittit Satellitem ad occidendum Verianum, sed hic, ab Astræo inductus, alium capite plectit. Verianus carceri eximitur.

Scena 8ua. Liber Verianus fugam meditatur. Benè sperare iubetur ab Astræo Filium deplorans Cæsum, sibi conspicit occurrentem. Fugit, vmbram ratus, ipse etiam mortui loco habitus à Filio comperto errore sibi inuicem vitam gratulantur. Plebis superuenientis fauori commendantur ab Astræo.

Scena 9na. Quærunt ex Astræo custodes quid fieri iubeat de cadauere occisi à Gentiliano Nicetæ; ille Nicetam viuere præsentem sciens, iubet illud sibi præsentari, agnoscitque pro Niceta cæsum à Gentiliano suum Filium, ludo se circa turrim captiuorum puerili exercentem, cum quo habitum liberatus per Clytum Nicetas commutauerat.

Scena 10. Deflet Filij necem Astræus, patefactis fraudibus Gentiliani; Statuit vindicare. Plebem iam pridem odio contra illum æstuantem magis concitat.

C H O R V S.

Paredrum ex Anglia in Sinas ad affligendos IESV Socios transeuntem D. Archangelus Michael vinctum intrudit Orco. Liuorem verò & dolum rubiginem Illustrissimæ Soleæ affricare tentantes, Virtus conficit, Obrizoque illam vestit auro.

Interludium.

A C T V S 5tus.

Scena 1ma. Nuntiatur, palatium Imperatoris absumi incendio. tumultuantur omnes, fugit Imperator ex vrbe. Occurrit Plebs, queritur contra crudelitatem Gentiliani. Supplicat

cat pro Veriano, eiusque Filio neci subducto, declarat vtriusque innocentiam Astræus, patefactis fraudibus Gentiliani & Atheani, cæsum à primo illorum proprium filium ingemiscens, expostulat cum Imperatore.

Scena 2da. Mater Imperatoris per suæ præfectum aulæ pro captiuis intercedit Christianis, asserens se in somnio vidisse, è medijs flagrantis Regiæ flammis efferri filium manibus Europæorum Sacerdotum. morem gerit Imperator, & solutos Patres sibi sisti præcipit.

Scena 3tia. Exoritur clamor populi. Turbatur Imperator, putans incendio perire Regiam; sed hoc illi nuntiatur subsedisse. causam verò tumultuantis populi, discit esse direptionem templorum, & gemini Patrum Orientalis & occidentalis domicilij ruinam iussu Gentiliani, quem sibi sisti præcipit, templorum verò direptionem prohiberi.

Scena 4ta. Adest plenus furore Gentilianus. Tumidè loquitur cũ Imperatore, spem Imperij falso promissam animo fouens.

Scena 5ta. Exponit suorum innocentiam Pater Ferdinandus Verbiest in habitu Mandarini. Crimina obiecta à Gentiliano Atheanoque diluit, producto Superstite illo homine, quem Gentilianus ad suspicionem mortis sopierat; & Tribuno Militum Tartaro, qui non pridem in Vrbe Sionea præsens asseruit mortuum Constantinum, ante datam in literis à Gentiliano confictis expressam.

Scena 6ta. Dilutis fraudulentis accusationibus Aduersarij, idem Pater fractas ostendit tabulas, notatas olim in Gratiam Patrum manu Parentis Imperatoris, quam Superstes veneratus Imperator, Gentilianum pro tanto ausu exauctorari præcipit.

Scena 7ma. Gentilianus exauctorandus, dum sui officij vestibus exuitur, reperitur in sinu illius Scheda cum illo Atheani promisso, *Ni fueris Imperator &c.* rebellionis reus proclamatur.

Scena 8ua. Excusso curiosiùs eius sinu iussu Imperatoris, inuenti codicilli ab illo, ad quendam intimum hoc stylo exarati. *Fidem Europæam deleo, Imperator sequetur.* infrusta concidendus iudicatur.

Scena

Scena 9na. Decem millia Myriadum auri pro ſui offerens redemptione, non auditur, intercedentibus pro ſe etiam Catholicis, clementiori ſententiâ ad laqueum damnatur. Pars gazæ illius noſtris adiudicatur. Propenſus Fidei Clytus eius Filius vitâ donatus, ad preces P. Ferdinandi eidem adiudicatur. Reliqua eius propago ad ſeptimam vſque generationem delenda ſtatuitur.

Scena 10. Fuga Atheani nunciatur. Ad mortem is quoque quæri iubetur. Imperator diploma ſui Parentis libertatem diſſeminandæ Fidei permittens, confirmat: vlteriores Patribus promittit fauores.

Scena vltima. Suſpendium Gentiliani repræſentat. Trahitur eius Familia ad necem. Triumphat Veritas, imperatoriæ tæniæ loco laqueum poſſidente Aduerſario.

Epilogus.

Veritas hoc in Sinis glorioſa triumpho ſedem fixam quærens, conſiſtit tanquam in triumphali arcu, ſub Gentilitia Illuſtriſſimi Præſulis Solea. Pallas Karnkoviana, & Inſigni, tantum Incolam, & Incolæ Veritati, tam nobilem ſtationem gratulata, per ſuos applaudit alumnos. Legitur Elenchus eorum qui è tenebris ignorantiæ ad lucem veritatis ſuperioris eluctati, Illuſtre publicè pro ſua in profligandis rudioris ætatis erroribus encomium meruêre.

Ad M. D. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem.